Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26380
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Mortuo iacob et ioseph intra egyptum. surrexit rex nouus in egipto. qui ignorabat ioseph. et populum eius. Edificauitque israhel urbes tabernaculorum pharaoni. phiton et rameses. Erat autem pharao populo suo. Venite sapienter opprimamus israhel. ne forte multiplicetur. et si ingruerit contra nos bellum. addatur inimicis nostris. expugnatisque nobis egrediatur de terra. Precepitque prepositis liti et latis dicens. Quicquid masculini sexus natum fuerit occidite. quicquid feminei reseruate.

Locutus est dominus ad moysen dicens. Ego dominus qui apparui abraham. et ysaac. et iacob. in deo omnipotente. et nomen meum adonay non indicaui eis. pepigique cum eis fedus fidele. ut darem illis terram peregrinationis eorum. in qua fuerunt aduene terram chanaan. in possessionem sempiternam. Ego dominus locutus sum. et complebo.

Venit amalech ad pugnandum contra israhel in raphidim. Pugnauitque iosue famulus domini cum electis uiris contra amalech. Moyses autem et aaron. et hur. stabant super uerticem collis. Cumque eleuaret moyses manus. uincebat israhel. si autem remisisset; uincebat amalech. Manus autem moysi erant graues. aaron autem et hur sustentabant manus eius ex utraque parte. Et dixit dominus ad moysen. et ad iosue. Delebo memoriam amalech de sub celo. et erit bellum domini contra amalech a generatione in generationem.

Mortuo aaron cum audisset chananeus rex arad. qui habitabat ad meridiem. uenisse israhel per exploratorum uiam. pugnauit contra illum. et uictor existens duxit ex eo predam. At israhel uoto se domino obligans et prius dominum adorans super terram ait. Si tradideris populum istum in manu mea. delebo confidentiam terrarum eius. Exauditque dominus preces israhel. et tradidit chananeum. quem ille interfecit. subuersis urbibus eius. et uocauit nomen loci illius horma. id est anathema.

Hec est religio uictime quam constituit dominus expiari uniuersum israhel. Precepit autem dominus ad moysen. filiis israhel. ut adducant ad te uaccam rufam etatis integre. in qua nulla sit macula. nec portauit iugum. tradetisque eam eleazaro sacerdoti. qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium. et tingens digitum in sanguine eius. asperget contra fores tabernaculi septem uicibus. comburetque eam cunctis uidentibus cum pelle et carne. Lignum quoque cedrinum. et ysopum. coccumque bis tinctum. sacerdos mittet in flammam que uaccam uorat. contaminatusque erit qui combusserit eam usque ad uesperam. Colliget autem uir mundus cineres uacce. et effundet eos extra castra in loco purissimo. ut sint tam aduene. quam omni israheli in custodiam. et in aquam aspersionis pro peccato iure perpetuo.

Dixit dominus ad aaron. Tu et filii tui tecum. portabitis iniquitatem sanctuarii. et tu et filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii uestri. Qui mundus est de domo tua uescetur de sanctis. extranei et inmundi si uescantur. morte moriantur.

Filii heli filii belial. nescientes dominum neque officium sacerdotum ad populum. sed quicumque immolasset (de populo) uictimam. ueniebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes habens fuscinulam tridentem in manu sua. mittebatque in caldariam aut in ollam. et omne quod leuabat fuscinula tollebat sibi. Dicebatque ei immolanti. Incendatur primum iuxta morem adeps domino. et postea